

700 *AE.* quid? iam uxorem? *MI.* iam. *AE.* iam? *MI.*

iam quantum potest. *AE.* di me, pater,

omnes oderint ni mage te quam oculos nunc ego amo meos.

MI. quid? quam illam? *AE.* aequae. *MI.* perbenigne.

AE. quid? ille ubi est Milesius?

MI. perii abiit navem escendit. sed quor cessas? *AE.*

abi, pater,

tu potius deos conprecare; nam tibi eos certo scio,

70

705 quo vir melior multo es quam ego, obtemperaturos magis.

MI. ego eo intro ut quae opu' sunt parentur: tu fac ut dixi, si sapis.—

AE. quid hoc est negoti? hoc est patrem esse aut hoc est filium esse?

si frater aut sodalis esset, qui mage morem gereret?

hic non amandus, hicine non gestandus in sinust? hem.

75

710 itaque adeo magnam mi iniicit sua commoditate curam

ne imprudens forte faciam quod nolit: sciens cavebo.

sed cesso ire intro, ne morae meis nuptiis egomet siem?

D E M E A

vi

DE. Defessu' sum ambulando: ut, Syre, te cum tua monstratione magnu' perdat Iuppiter!

715 perreptavi usque omne oppidum: ad portam, ad lacum,

quo non? neque illi fabrica ulla erat nec fratrem homo

vidisse se aibat quisquam. nunc vero domi

5

certum obsidere est usque donec redierit.